BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 37r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445

Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tudine simulacrorum suorum. Et attulerunt
ornamenta sacerdotalia et primitias et
decimas: et suscitaverunt nazareos qui
impleverant dies: et clamaverunt voce
magna in celum dicentes: Quid facie-
mus istis: et quo eos ducemus? Et
sancta tua conculcata sunt et contami-
nata sunt: et sacerdotes tui facti sunt
in luctum et in humilitatem: et ecce nati-
ones convenerunt adversum nos ut nos
disperdant. Tu scis que cogitant in
nos. Quomodo poterimus subsistere ante
faciem eorum nisi tu deus adiuves
nos? Et tubis exclamaverunt voce
magna. Et post hec constituit iudas
duces populi tribunos et centuriones
et pentecontarchos et decuriones. Et dixit
Ho. his qui edificabant domos et de-
sponsabant uxores et plantabant
vineas et formidolosis: ut redirent
unusquisque in domum suam secundum le-
gem. Et moverunt castra: et collocaverunt
ad austrum Emmaum. Et ait iudas: Ac-
cingimini et estote filii potentes: et
estote parati in mane ut pugnetis
adversus nationes has que convene-
Ho. runt disperdere nos et sancta nostra: quoniam me-
lius est nos mori in bello quam vide-
re mala gentis nostre et sanctorum. Sicut autem
fuerit voluntas in celo sic fiat. Cap.
Et assumpsit gorgias .v. mi-
lia virorum et mille equites
electos: et moverunt castra noc-
te ut applicarent ad castra iudeorum.
et percuterent eos subito: et filii qui erant
ex arce erant illis duces. Et audivit
iudas: et surrexit ipse et potentes per-
cutere virtutem exercitus regis que erat
in Emmaum. Adhuc enim dispersus erat
exercitus a castris. Et venit gorgias
in castra iude noctu: et neminem in-
venit. Et querebat eos in montibus:
quoniam dixit: fugiunt hii a nobis. Et cum
dies factus esset: apparuit iudas in campo
cum tribus milibus virorum tantum: qui
tegumenta et gladios non habebant.
Et viderunt castra gentium valida.
et loricatos et equitatus in circuitu eorum:
et hii docti ad prelium. Et ait iudas
viris qui secum erant: Ne timueritis
multitudinem eorum: et impetum eorum
ne formidetis. Mementote qualiter
salvi facti sunt patres nostri in mari rubro:
cum sequeretur eos pharao cum ex-
ercitu multo. Et nunc clamemus in
celum: et miserebitur nostri dominus: et
memor erit testamenti patrum nostrorum:
et conteret exercitum istum ante faciem
nostram hodie: et scient omnes gentes
quia est qui redimat et liberet
israel. Et levaverunt alienigene oculos
suos: et viderunt eos venientes ex
adverso: et exierunt de castris in prelium.
Et tuba cecinerunt hii qui erant
cum iuda: et congressi sunt: et contrite
sunt gentes: et fugerunt in campum.
Novissimi autem ceciderunt in
gladio: et persecuti sunt eos usque Gaze-
ron et usque in campos ydumee et
azoti et iamnie. Et ceciderunt ex illis
ad quinque milia virorum: et reversus
est iudas et exercitus eius sequens eum.
Et dixit ad populum: Non concupiscatis
spolia: quia bellum contra nos est: et
gorgias et exercitus eius in monte
prope nos. Sed state nunc contra inimi-
cos nostros et expugnate eos: et postea
sumetis spolia securi. Et adhuc lo-
quente iuda: ecce apparuit pars quedam
aspiciens de monte. Et vidit gor-
gias quod in fugam conversi sunt sui:
et succensa sunt castra. Fumus enim
qui videbatur declarabat quod factum
est. Quibus illi conspectis timuerunt
valde: aspicientes simul et iudam
et exercitum eius in campo paratum